Partanowicz Jos. Aloysii: Litterae. Mores. Religio
seu de triplici scopo juventutis instituendae
Oratio academica.

LITTERÆ. MORES. RELIGIO.

SEU

DE TRIPLICI SCOPO JUVENTUTIS INSTITUENDÆ, ORATIO ACADEMICA.

Sub felicissimo regimine

Magnifici Perillustris & Admodùm Reverendi Domini,

D. M. CASIMIRI STĘPLOWSKI

S. Theologiæ Doctoris & Professoris, Ejusdemq; Sacræ Facultatis Decani & Procancellarii, Collegii Majoris Senioris Patris, Ecclesiarum Collegiatarum S. Floriani Clepardiæ ad Cracoviam Decani, in Summo Posnaniensi Cancellarii, SS.OO. Cracoviæ, & Parochialis S. Jacobi Casimiriæ Præpositi, Librorum per Diæcesim Cracoviensem Ordinarii Censoris, Ordinandorum & Approbandorum Pro-Synodalis Examinatoris, Seminarii Academico-Diæcesani, Contubernii Sisiniani & Alumnatûs Roszczeviani Provisoris, Studii Generalis Universitatis Cracoviensis

AMPLISSIMI RECTORIS.

Per

M. JOSEPHUM ALOYSIUM PUTANOWICZ,

Sacræ Theologiæ Doctorem, Philosophiæ Eclecticæ in Collegio Majori Regium Professorem, Ecclesiarum Collegiatarum Insignis Neo-Sandecensis Primicerium, S. Annæ Crac: Canonicum, Parochialium in Lanckorona & Rabka Curatum, Librorum per Diæcesim Cracovien: Ordinarium Censorem, Coloniarum Academicarum Culmensis & Sandecensis Provisorem, & Generalem Visitatorem, Geometram Strzałkovianum Juratum.

dum

Maximâ Amplissimorum Virorum frequentiâ,

In Jagellonica Universitatis Cracoviensis Aula,

Primas in AA. LL. & Philosophia Laureas,

VIII. VV. DD. Ejusdem Laureæ Candidatis,

Quorum Nomina & Cognomina,

I. V.D. NICODEMUS *GODZIEMBA in magna Kobyłki*, KOBYŁECKI.
II. V.D. FRANCISCUS MARCISZOWSKI.
III. V.D. MARTINUS ŁAGOWSKI. Crac:
IV. V.D. CAROLUS WEYSS. Crac:
V. V.D. VALENTINUS KRZYZANOWSKI. Crac:
VI. V.D. XAVERIUS RYSZKOWSKI.
VII. V.D. ANTONIUS PIORECKI.
VIII. V.D. ANTONIUS SOSNOWSKI.

Ritu ſolemni conferret;

Annô Domini 1768.

Die 27. Menſis Octobris.

RECITATA.

CAR-

CARMEN HEROICUM.

In gratiam VV. DD. Primæ Laureæ Candidatorum.

Cùm Veſtrûm paſſus Academi limina tangunt,
Ejus ad illuſtres, ferventes curritis umbras,
Frontibus hic veſtris largitur laurea ſerta.
Pro quibus à vobis optat poſcitq; viciſſim;
Ut, cùm Sceptrigeræ reddatis nomina Matri,
Illi cor, animum, ſimul & ſacretis amorem.
Nominis hæc ratio cujusvis obligat omnem,
Ejus ut officium ſuſceptum fiat ad unguem.
Quid juvat ignivomi cenſeri nomine Martis?
Muniri galea caput ejus? pectora ſcuto?
Terga premi ſpumantis equi? gladioſquê vibrari?
Ad pugnam campos metari, quid juvat inquam?
Si deſint animus pugnandi, prompta voluntas.
Eximii Juvenes, heròés arte probati,
Nomine præclaro diſtincti Palladis almæ,
Illius campum cùm deſcendatis in amplum,(
Divite perveteris jam laudis meſſe refertum,
Quem Jagellonei fæcundant valde Manipli;
Quô ſelecta ſeges crevit, creſcitq; Virorum.)
Hic omnem lapidem, fervens ſtudiumquê movete,
Decertaturi pro caræ Gentis honore.
Non vagina manus oneret, ſed pagina docta.

Non gladiis, verùm calamîs certare necesse.
Non in pugnaces acies, hìc Marte ruendum.
Hìc docili laurus victrices arte parantur.
Mentibus ingenuis atrox dispareat hostis
Segnities animos enervans, otia fæda.
Clara Patrum vestigia nunc præponite vobis(
Quorum sunt alii Sanctorum sede recepti,
Et fastis alios inscripsit publica fama,
Incolumes alios veneratur Cracia Pallas)
Qui non parcentes vitæ, studioq; laboris,
Rerum nequaquam metuunt angusta subire;
Ut plus plus Gentis florescat fama Togatæ.
Illud præprimis volo, mente revolvite Vestra,
Præclarus magnusquè Pater quod dixerat olim:
Sparthanam susceptam *aût orna, vel desere* certè.
Quare conatus illuc convertite totos,
Enixas curas, studium, vigilesquè labores,
Unde fluat præstans Academi gloria nostri,
Artibus innixos Vos, & virtutibus istis,
Semper honos, nomenq; bonum, laudesq; manebunt.

Quod aggratulandò vovet:
M. STANISLAUS KALECINSKI
Philosophiæ Doctor, Rhetorices Professor.

ORA-

O R A T I O.

SI quis Vestrûm expectat AA. quodnam Orationis argumentum, ego hodie in hoc celeberrimo Sapientissimorum Virorum conventu, tractandum potissimùm elegerim; consideret ipse secum, quorum gratiâ publicè dicendi consilium susceperim: non dubitabit quid me sentire conveniat, cùm ad quos mihi dicendum necesse sit cogitârit. Dicendum autem est ad Adolescentes istos, qui humaniorum litterarum curriculum emensi, sapientiæ amore capti, atque veræ laudis cupiditate allecti, nomina sua florentissimæ huic Academiæ ultro dedere: ut opportuna scientiarum supellectili abundè instructi atque etiam ornati, unà sibi Patriæque cari vivere, & quod caput rei est, quòve omnia studia nostra referri oporteat, Institutum Academicum olim cum dignitate possint profiteri. Nulla verò in re, nisi me mea fallit opinio, operam suam utiliùs collocare valuerunt. Quid enim Instituto Academico aut opportunius, aut præstantiùs, cogitari aut optari potest? Nam si omnium retro ætatum consensu, atque Sapientum judiciò, cùm omnium Regnorum & populorum felicitas, tum maximè Reipublicæ Christianæ salus, à recta Juventutis institutione (quæ quidem rudes adhuc animos ad humanitatem flectit; steriles alioquin & infructuosos, Reipublicæ muniis idoneos & utiles reddit: Dei cultum, in parentes & patriam pietatem, erga Magistratus reverentiam & obedientiam promovet) pendere dignoscitur: quid putatis? nonne Viri illi, qui istiusmodi provinciam tot difficultatibus, vigiliis, laboribus, ærumnis circumseptam, nedum in partes suas suscipiunt, sed etiam fortiter & feliciter obeunt, infinita propemodum beneficia, in universum hominum genus conferre videntur? At verò cogitationes istæ, si quibus, quemadmodum non diffiteor, cordi sunt: totam proculdubio Academiæ nostræ mentem absorbent. Voluerunt equidem Augustissimi Reges nostri, quibus nobilem ortum debet primogenita Regum filia Universitas, publicam apud nos patere cujuslibet scientiæ officinam; in qua animorum merces non quæstui habentur, sed dono vene-

unt:

unt: voluerunt perennes purioris litteraturæ ſcaturire fontes, è quibus divites æqué ac pauperes, ignoti ac nobiles, peregrini ac populares, pleno ore hauriunt, emuntqué aquas abſqué argento, quod & ego cum multis jucundiſſimè ſum expertus. Iſtic illi domicilium, iſtic patriam, iſtic firmiſſimam velut arcem Muſis erexere.

Nolim tamen ego AA. ut dum ad ſcientias & honeſtatem formandæ juventutis nobis creditam curam contendo; quaſi abſolutos omnibûs numerîs Oratores, fatidicos Pòëtas, conſummatos Philoſophos, qui aut cum Tullio de palma contendant, aut cum Marone ſponte carmina fundant, aut cum Ariſtotele de primatu decertent, quo nihil fere majus, è Scholis noſtris me velle prodire intelligatis: equidem & ego officii noſtri partes inconſulta temeritate altiùs extollere viderer, & vos plus quàm æquitas ferat, à nobis poſtulare crederemini. Muneris noſtri eſt inchoare & informare opus, prima quaſi lineamenta ducendo, non ad ſummam abſolutionem perfectionemqué perducere. Commonſtramus pueris certum finem quò tendere, tutum iter quod ingredi, errores & pericula quæ vitare debeant. Uno verbo: firmiſſima à nobis totius operis fundamenta ponuntur: jaciuntur vera, ſincera, incorrupta bonarum omnium artium ſemina. Quanta ſit autem ſeminis virtus, quanta fundamenti vis, quamvis utraqué lateant, & in obſcuro ſint, nemo non intelligit. Has Academici muneris partes nullo non tempore tentarunt diligenter tueri periti, quibûs ſemper floruit Univerſitas Magiſtri: eò omnem operam locantes; ut Juventus inſtitutioni ſuæ concredita, cùm ingenuis honeſtisq; artibus imbueretur, tum ad quævis humanitatis officia, morumqué ſuavitatem componeretur, & quod primum princepsquè eſt, ad Religionem Sanctam, non ſpecie tenus, ſed re quidem ipſa formaretur.

Tria enim ſunt, quæ in præcellenti adeo educandæ Juventutis munere Alma Studiorum Parens Univerſitas ſibi proponit, ad quæ velut ad regulam & amuſſim omnes eos, quibus publicam docendi provinciam impoſuit, reſpicere maximopere deſiderat. *Litteræ: Mores. Religio.* Atqué primas quidem curas in culturam ingeniorum intendit, diſciplinis videlicet illis inſtruendo puerorum animos, quas ætas illa tenera, at nimis tenax ferre poſſit. Tum ſeſe ad moderandos affectus, ſedandasqué animi paſſiones convertit, jam ad bonum honeſtumqué virtutis amore invitando,

jam

jam à malo turpiqué formidine pænæ deterrendo: tales scilicet volens spectare prætextatos, quales patria cives habere optaret Deniqué cùm Religione nihil habeat antiquius, in ea nedum tuenda, sed etiam Juvenum animis instillanda insculpendaque tota quasi occupari videtur: ut ij qui è sua Palæstra prodeunt, nedum rectè sapere, sed quod reliquis ceteris anteponendum puto, sanctè & religiosè vivere discant. En igitur triplex Universitatis scopus, atqué meæ Orationis summa! de quo quidem differendum in præsentiarum mecum constitui; cùm ut animos vestros Lectissimi Adolescentes ad ritè obeundum Institutum Academicum vel leviter præpararem: tum ut ijs qui istiusmodi provincia, potiore ætatis suæ parte, magna & nominis sui existimatione, & Academiæ laude perfuncti sunt, hodiequé funguntur, commemoratione susceptorum pro publico laborum non leve solatium adferrem. Brevibûs, quantùm potero, me expediam, Vos AA. attentos patientesqué, pro summa in me humanitate & benevolentia, iterum iterumqué rogo.

I. Quodsi probè nosse desideratis AA. quo loco habendi sint illustres illi Viri, quibus præclarum instituendæ Juventutis munus incumbit, pensare velim animô, quantum ingenuæ artes & scientiæ nedum ornamenti, verùm etiam commodi Rebuspublicis adferant: in quo quidem non multùm laborandum est, si quid discriminis cùm inter singulos homines, tum inter totas gentes à litteris habeatur, consideremus. Et ut ab integris hominum cœtibus rem ordiamur, videte, videte quæso Atheniensium Rempublicam angustis admodum circumscriptam limitibûs; quod tamen Regnum, quid dico Regnum, quem angulum terræ, nomininis sui celebritate non illa complexa est? Illa veluti fæcunda parens, quot homines, tot ausim dicere miracula Orbi est enixa. Inde eloquentissimi Oratores, inde bellicosissimi Duces, inde sapientissimi Legislatores, inde Viri artis regendi peritissimi longa serie prodiere. At verò litterarum hic partus est, quæ cùm ad summam absolutionem perveniunt, Regnorum quoqué, in quibus vigent florentqué, fortunam & gloriam ad supremum provehunt fastigium. Roma Mundi Domina, diuturno belli usu edocta, armorum quidem potentia, & continuo victoriarum cursu, universale imperium sibi asseruit: dominatio hæc tamen non regnum, sed vis & immanitas fuit; tum demum devictis populis ex vero dominari cæpit, cùm eruditæ Græciæ spoliîs facta potentior, sapientiæ Monarchiam in se transtulit; quam hodiedum etiam reliquîs pene omnibûs mutante vices

te vices fortuna amissis, in universum hominum genus feliciter exercet. Equidem principatus litterarum præsidiis comparatus fato superior est, vim necquidquam metuit, secula vincit, duratqué in ævum. Quodsi adeo verum est, ut inter omnes Nationes, eæ opibus, imperio, & publica felicitate semper præcelluerunt, quæ sapientioribus legibûs gubernatæ sunt: & ut ad fontem redeam, quæ præ ceteris impensiùs litteras coluerunt: Oro enim vos AA. quid erant tot populorum leges, nisi veluti succus sapientiæ, ac temporis diuturnitate consummatæ intelligentiæ? facilè perspicitis, cur aut Africa illustrium retro Toga Sagoqué Virorum ferax patria, de pristino splendoris dignitatisqué gradu delapsa in tenebris oblivionis consepulta jaceat? aut cur non eò quoque imperii & felicitatis venere penitissimi Scythæ & Lapones, Peruviani, Caffari, moribus & vitæ consuetudine efferati, litteris ac legibus destituti, ac una pene dixerim forma effigiequé corporis à belluis discriminati? Videtis ex adverso Cis-Alpinos illos atqué Septemtrionales populos, quos defectu litterarum ùt aggrestes barbarosqué homines antiquitas reputaverat; quomodo peregrinis hospitio exceptis, atqué etiam civitate donatis Musis, quomodo inquam detersa illa ruditatis maculâ, ingenio, industria, urbanitate, opibus, potentia, cum reliquis gloriose decertent? quid dico decertant! an non potiùs invidiam & æmulationem provocant ceterorum? Res adeo in comperto est, ijsdem gradibûs Respublicas sua capere incrementa, quibus & studia litterarum augentur. Illæ Civium mores, alioquin feros cicurant, & ad recti honestiqué ideam componunt, illæ leges sapienter ordinant, illæ internam externamqué politiam prudenter administrant, illæ integros populos in obscuro languentes è tenebris in lucem efferunt.

Sed quid ego historiarum percurro monumenta? satis est vel ipsam naturam contueri. Equidem quis non videat inter duas glebas quametsi ejusdem indolis, cultio ipsa quantum discriminis ponat? Altera absqué colono relicta, quid, nisi spinas & tribulos in censu referet? Altera si pertinaci labore excolatur, multiplici frugum fructuumqué copia dives, jucunda florum varietate ornata, quidquid rarum, quidquid salubre, quidquid gustui suave in parvo complexa, omnium tempestatum & regionum germinatus ordine producet. Haud secus ingenia: neglecta quidem sterilia jacent; subacta, operæ pretium multo fenore compensant. Nihil enim, credite Tullio, est feracius ingeniis, iis præsertim quæ

disciplinis

disciplinis exculta sunt. Et quemadmodum nulla res magis animos induit honestos, & in pravum inclinabiles revocat ad rectum, quàm bonorum conversatio: sic mens consuetudine sapientum ignorantiam excutit, falsa præjudicia dediscit, claras distinctasqué rerum notiones acquirit, veritatem in abdito latentem detegit, atqué cum magnis illis Viris, quorum studio tenetur, augetur & grandescit.

Nequé verò studia litterarum ita comparandis scientiis deserviunt, quin etiam ad feliciter tractanda belli pacisqué momenta, si non ex toto, maxima profectò parte contribuant. Equidem non eo inficias, plerosqué solo bellandi usu edoctos, non postremæ militiæ laude floruisse. Verùm illos ego maximopere suspicio, qui præter gloriam Imperatoris, nomen quoqué sapientis sunt adepti. Quibus enim non laudibus celebrandus Victor ille Carthaginis & Numantiæ Scipio Africanus? Tam elegans ille liberalium studiorum omnisqué doctrinæ & auctor & admirator fuit; ut Polybium, Panætiumqué præcellentes ingenio Viros, domi militiæqué secum habuerit. Nequé enim quisquam hoc Scipione elegantiùs intervalla negotiorum otio dispunxit, semperqué aut belli, aut pacis serviit artibus: semper inter arma ac studia versatus, aut corpus periculis, aut animum disciplinis exercuit. Quid: si sola librorum lectio usum rei militaris interdum supplere valeat? Quid dicam de Lucullo? Magnum profectò ingenium Luculli, magnumqué optimarum artium studium, tum omnis liberalis & digna homine nobili ab eo percepta doctrina. Ab eo ars Imperatoria non admodum expectabatur. Sed incredibilis quædam ingenii magnitudo non desideravit indocilem usûs disciplinam. Itaqué cùm totum iter, & navigationem consumpsisset partim in percontando à peritis, partim rebus gestis legendis, in Asiam factus Imperator venit, cùm esset, teste Tullio *l. 4. aa. qq.* Roma profectus rei militaris rudis. Jam si à Sago ad Togam gressum faciam, nulli ego curationem Reipublicæ credendam rectè putaverim, quin de ejus consummata sapientia palam constiterit. Qui enim tanta doctorum Virorum consensione dicere Plato potuerit: tum beatas fore Respublicas, cùm aut Philosophi regnant, aut Reges philosophantur? Et merito: ei quippe, cui Respublica commissa est, loquar cum Tullio *l. 1. de legibus*, oratio & sapientia necessaria est, qua regat populos, qua stabiliat leges, qua castiget improbos, qua tueatur bonos, qua laudet claros viros, qua præcepta laudis & salutis aptè ad persuadendum edat suis Civibus, qua hortari ad decus, revoca-

re à flagitio, consolari possit afflictos, factaque & consulta fortium & sapientum cum improborum signonimia sempiternis monumentis prodere.

Verùm enimvero si ex litteris delectatio tantùm peteretur, tamen hanc animadversionem humanissimam & liberalissimam judicaremus. Nam ceteræ res neque temporibus, neque locis omnibus sunt aptatæ. Ipsa verò multarum artium scientia etiam aliud agentes nos ornat, atque ubi minimè credas, eminet & excellit. Quinimo nisi nobis ipsis graves esse velimus, nisi lucis hujus usura, qua homini nihil carius, nobis invisa sit, colendæ sunt litteræ, sine quibus otium mors est & vivi hominis sepultura. Quodsi tot tantaque emolumenta cùm in singulos homines, tum in universas nationes à litteris proficiscuntur: facilè perspicitis AA. quanta sit Magisterii ipsorumque Magistrorum dignitas & præstantia, qui in præcellenti adeo provincia versantur. Quam enim parentibus, eandem illis præceptoribus generis humani, à quibus tanti boni initia fluxerunt, venerationem deberi, meritò dicebat Seneca *epist: 46.* Atque eò majorem deberi pronuncio: quòd parentes filiorum corpora effigiant. Præceptor discipulorum mentes format. Quæ res tantò pretiosior videri solet, quantò homo interior, homine exteriore est præstantior. Accuratissimâ igitur diligentiâ istiusmodi partes tractandæ sunt Academici! si Reipublicæ bono, si Magistratuum dignitati, si Universitatis honori, si nostræ quoque existimationi rectè volumus consulere. Ita tamen satagamus oportet, ut ii quos instituendos accepimus simul & docti fiant, & moribus imbuantur. Quod alterum Orationis caput.

II. Equidem si omnis industria Magistrorum in eo solùm versatur, ut Juvenes liberalibus artibus exculti, varia multiplicique eruditione abundè instructi è sua Palæstra prodeant, neglectâ prorsus, aut posthabitâ vitæ morumque disciplinâ, neque Reipublicæ integritati affatim consultum, neque principi fini, ad quem naturâ ipsâ comparati sumus, satis provisum crediderim. Homo naturaliter est animal politicum & civile, atque ita nos nati videmur, ut inter omnes esset societas quædam. In quo quidem communi generis humani commercio, neque otiosa, neque ignava membra nos Deus voluit, sed per singulos sua cuique, quibus rite fungi oporteat, officia dispertiit. Quid verò præclari absque virtute præstare poterimus? An bonus Civis esse potest, quin unà & bonus Vir necesse sit? An beatam societatem illam dicemus, in qua nulla virtuti reverentia, nullum studium honestatis? An non palam cernim. s;

cernimus, quòd sola virtus, veræ solidæque laudis gustum nobis ingenerat; amorem Patriæ inspirat; publicam felicitatem privatis fortunis anteponere, suscepti officii munus adimplere, integritatem & justitiam præprimis sectari, vitia abhorrere, in agendis faciendisque ad solius conscientiæ testimonium, bonorumque adprobationem attendendo, fucatum atque perbrevem gloriolæ splendorem, unà cum vita evanescentem, incorrupto æternoque posteritatis judicio posthabere, nonne virtus inquam nos docet?

Verùm qua via ad virtutem eluctari quisquam poterit, nisi aliquis & ductor & auctor sit? Natura quippe, quemadmodum prudentissimus juxta ac eloquentissimus Cicero, in suis de Philosophia libris disserit, parvulos nobis igniculos dedit, quos celeriter malis moribus, opinionibusque depravatis sic extinguimus; ut nusquam naturæ lumen appareat: sunt enim ingeniis nostris semina innata virtutum, quæ si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret, nunc autem simul ac editi in lucem & suscepti sumus, in omni continuò pravitate, & in summa opinionum perversitate versamur, ut plane cum lacte nutricis, errorem suxisse videamur. Admovendæ igitur sunt faces, ut istiusmodi scintillæ flammam concipiant; riganda crebrò hæc semina, quò fructum virtutis et honestatis adferre possint. Et hoc quidem est, quod optimi quique Magistri in educanda juventute maximopere curare debeant. Nullum enim, uti rectè advertit laudatus Tullius *3. de Div.* munus Reipublicæ majus meliusve afferre possumus, quàm si doceamus, atq; juventutem erudiamus, iis præsertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapsa est, ut omnium opibus refrenanda atqué còercenda sit. Atqué ita doceamus; ut dum pueros Græcis Latinisqué litteris instructos desideramus, priscos unà laudatissimæ antiquitatis mores, in cereis eorum animis effigiemus. Quorsum enim liberalibus studiis illos erudimus? nisi quòd ista animum ad accipiendam virtutem præparant. Parum equidem refert, si juvenes quæ pulchra & verbosa, non item quæ solida & utilia didicerint. Quid enim horum ad virtutem viam sternit? meritò quærebat Seneca *Ep: 89.* Syllabarum enarratio, & verborum diligentia? & fabularum memoria, versuum lex ac modificatio? Quid ex his metum demit, cupiditatem eximit, libidinem frenat? Cujus ista errores minuent? Quem fortiorem, quem justiorem, quem liberaliorem facient? Exercenda est adeò puerorum industria, ut quæ adolescentum, quæ constantis ætatis, quæ senum officia sint, intelligant; ut quid domi, quid militiæ, quid à privatis, quid ab iis

qui cum imperio sunt, præstari debeat, non ignorent: ut noscat pauper, quomodo tolerare inopiam; dives, quomodo divitiis uti debeat: quid inter patrem & liberos, quid inter virum & uxorem, quid inter fratres, cognatos, amicos, cives, quid denique inter omnes homines observari par sit, perspectum habeant: verbo; ut cùm singularum virtutum vim atque naturam perspexerint, earum genuina simulacra moribûs actionibûsque suis exhibeant.

Haud verò alia via & ratione operosum adeò negotium feliciùs expediendum crediderim, quàm exemplorum auctoritate. Atq; in primis, siquidem facilè ad virtutem erudiuntur, qui cum melioribus conversantur: enim qui alios formandos suscepit, tanta decet gloria virtutis excellere, ut instar solis, ceteros velut stellarum igniculos in sui fulgore obscuret: debetque hujusmodi vitam h bere immaculatam atque compositam, ut omnes in illum & in ejus mores, veluti in exemplar aliquod excellens, intueantur. Sed & verborum quoqué, tum sermonis ipsius ratio omnino habenda est; maxima quippe puero debetur reverentia, quandoquidem nulla ad curiosas illas tenacesqué aures vox impunè perfertur. Cavendum igitur diligenter, ne per ejusmodi ostia, ad secretiora mentis, pervulgati illi clamores penetrent: quibûs è corrupto seculi sensu nihil jucundius, quàm voluptatum lenocinia, nihil utilius, quàm divitiarum affluentiam; nihil honestius optatiusve, quàm superbum vestium cultum, lautas & cereales epulas, ædiumqué magnificentiam impotenter celebrari non raro nos ipsi sentimus. Quæ quidem publica insani vulgi præconia plus exitii juventuti adferre possunt, quantùm fabulosi Sirenum cantus navigantibus mare præstare nequibant. Illa enim vox, ùt egregie monet Seneca *Ep: 31.* quæ timebatur erat blanda, non tamen publica: at hæc quæ timenda est, non ex uno scopulo, sed ex omni terrarum parte circumsonat. Sit ergo suasu laudati Sapientis *Ep: 94.* aliquis custos, & aurem subinde pervellat, abigatqué rumores, & reclamet populis laudantibus. Immoverò necessarium est admoneri, & haberi aliquem advocatum bonæ mentis, èque tanto fremitu falsorum, unam denique audire vocem, quæ tantis clamoribus ambitiosis exsurdato salutaria insusurret.

Quis tamen fidelis illius constantisque monitoris personam aget? Juvenes quidem in nudis siccisque præceptis è more nauseant; alienis adeò factis, quibus delectari consuevit illa ætas, ad imitationem æmulationemque virtutis provocandi. Si velimus eos contagione seculi, falsisque vitiorum præjudiciis exuere, revocandi sunt

longe

longe à vitiorum exemplis; transferendi ad meliores; cum Catonibus, cum Lælio, cumque ceteris illustribus antiquitatis Viris vivendum ipsis est. His enim illi & auctoritatis plurimum deferunt, & monitis ipsorum non inviti obtemperant. Antiquitatem itaque consule, antiquitatem adi, quoties aut divitiarum contemptum, aut voluptatum fugam, aut fortitudinem, aut temperantiam, aut reliquas virtutes volueris persuadere. Dabit illa Consules, dabit Dictatores, ab aratro ad fasces assumptos. Quid verò magis indignum videri poterat? sed illæ rustico opere attritæ manus salutem publicam stabilierunt. Curio ad focum sedenti magnum auri pondus Samnites cùm attulissent, repudiati ab eo sunt. Non enim aurum habere præclarum sibi videri duxit; sed iis qui haberent aurum imparare. O pulcherrimum restinguendæ sitis divitiarum exemplum! Sed & frugalitatis & parsimoniæ illustria monumenta haud difficilè repereris. Quàm jucundum spectaculum! Fabricius ad focum cænat illas ipsas radices, quas in agro repurgando triumphalis senex vulsit. Parum scitè ille convivia exornabat; at illa multo optima Reipublicæ doctus erat, domi, regere cives, militæ, ferire hostes. Quid dicam de Augusto? hic Urbem excoluit adeò; ut jure sit gloriatus, marmoream se relinquere, quam lateritiam accepisset. Ipse tamen, teste Suetonio *in Aug*: habitabat ædibus neque laxitate, neque cultu conspicuis. Instrumenti ejus & supellectilis parsimonia apparebat in lectis atque mensis: quorum pleraqué vix privatæ elegantiæ essent. Quid dicam de Scipione? Magna me profectò, loquor cum Seneca *epist: 86*. voluptas subit contemplantem mores Scipionis ac nostros. In hoc angulo ille Carthaginis horror, cui Roma debet, quòd tantùm semel capta est, abluebat corpus laboribûs rusticis fessum, exercebat enim opere se, terramque (ùt mos fuit priscis) ipse subigebat. Sub hoc ille tecto tam sordido stetit: hoc illum tam vile pavimentum substinuit. At nunc quis est, qui sic lavari substineat? Pauper sibi videtur ac sordidus, nisi parietes magnis & pretiosis orbibus refulserint. Quid dicam de Catone? O quantum erat seculi decus, imperatorem triumphalem, censorium, & (quod super omnia hæc est) Catonem uno caballo esse contentum, & ne toto quidem! partem enim sarcinæ, ab utroque latere dependentes occupabant. *Seneca Ep: 87*. Hodie eòusque luxum increvisse suspicimus; ut ne privatorum quidem aliquem facilè repereris, quem cum simili apparatu in publicum prodire non pudeat! Quantum etiam ponderis habeat, auro cedroque digna laudati Scipionis Oratio,

qua

qua ille ad virtutem continentiæ sectandam, juventutem non allicere potiùs, quàm rapere videtur! Non est non (mihi crede) tantum ab hostibus armatis ætati nostræ periculum, quantum ab circumfusis undique voluptatibus. Qui istas suâ temperantiâ frenavit ac domuit, næ multò majus decus majoremque victoriam sibi peperit, quàm nos Syphace victo habemus. *Liv: lib: 30.* His itaque calcaribus, quodsi puerorum animi incitentur, quî fieri potest, ut non lubentes ultroque virtutis arenam ingrediantur? Cui si fortiùs institerint, celebratissima illa virtutis miracula, quæ prisca antiquitas tantopere suspexerat, recens etiam ætas nostra videbit. Verùm & tempus & vestra me monet patientia AA. ut jam reliquum argumenti caput oratione perstringam.

III. De Religione siquidem dicendum est! sinè qua & humanæ scientiæ non rectè sapiunt, & ipsi hominum mores, quantacunque honestatis laude conspicui, beatam illam sempiternamque vitam nequeunt promereri. Quid enim juvat multa scire, si modum sciendi non teneas; quo videlicet ordine, quo studio, quo fine unum quodque sciri oporteat? Quo ordine? ut illud priùs, quod maturiùs movet ad salutem. Quo studio? ut illud ardentiùs, quod vehementiùs ad amorem. Quo fine? ut non ad inanem gloriam & ostentationem, sed ad tuam & aliorum salutem. (*monet Mellifluus Bernardus super Cant: ser: 36.*) Quis etiam ex virtute fructus, ubi virtus mortalis est & caduca? Omne igitur virtutis officium est, non peccare: quo profectò fungi non potest, qui Deum nescit. Quoniam ignoratio ejus, à quo bona oriuntur, imprudentem impingat in vitia, necesse est. *Lact: Firm: div: inst: l.6.c.5.*) Quæ quidem salutares institutiones non in Platonicorum Academiis, non in Stoicorum Gymnasiis, sed in Christi Schola docentur. Petamus sanè à profanis Scriptoribus sermonis elegantiam, & ab iis verborum optimam supellectilem mutuemur. Sunt illa velut pretiosa vasa, quæ ab Ægyptiis furari sine piaculo licet. Sed absit, ut in iis (quemadmodum olim Augustinus de suis Magistris conquerebatur) incautis adolescentibus vinum erroris ab ebriis doctoribus propinetur. Quî autem poterimus id vitare periculi, nisi tot profanis ethnicorum hominum vocibus, inseratur Divina vox, Christianisque Scholis, ùt decet, quotidie intersit, immo præsideat unus hominum Magister Christus. Ætas siquidem illa simplex, docilis, innocens, plena candoris & modestiæ, necdum imbuta pravis artibus, accipiendo Christi Evangelio maximè idonea est. Sed proh dolor! brevì illam morum castitatem inficiet humanarum opinio-

num

num labes, seculi contagio, consuetudinisque imperiosa lex, brevi omnia trahens ad se blandis cupiditatum lenociniis voluptas, tenerum pueriliis innocentiæ florem subvertet, nisi contra dulce illud venenum adolescentium mentes, severis Christi præceptis, tanquam Cælesti antidoto muniantur.

Quid plura? Religio & Principes in officio, & subditos in obedientia institutis suis continet, sine quorum altero beatam Rempublicam nemo jure dixerit. Quòd enim ii, qui imperii summa potiuntur, justa imperent: quòd inter linguas sublimiter se honorantium, & nimis honorabiliter salutantium, sibique nimis humiliter obsequentium, non extollantur; quòd se homines esse meminerint; quòd potestatem suam ad Dei cultum dilatandum, majestatique ejus famulari faciant; quòd Deum timeant, diligant & colant; quòd plus ament regnum illud, ubi non timent habere consortes: quòd tardiùs vindicent, & facilè ignoscant; quòd eandem vindictam pro necessitate regendæ tuendæque Reipublicæ, non pro saturandis inimicitiarum odiis, exerceant; quòd eandem veniam non ad impunitatem iniquitatum, sed ad spem correctionis indulgeant: quòd si quid aspere coguntur decernere, misericordiæ lenitate, & beneficiorum largitate compensent: quòd luxuria in eis tantò castigatior, quantò potest esse liberior: quòd demum si hæc omnia faciant, non propter favorem inanis gloriæ, sed propter charitatem felicitatis æternæ operentur; nonne id omne, Religionis beneficio, quæ sola in animos eorum dominatur, referendum est? Sed & subditorum erga Magistratum officia, an non Religio cælitùs haustis præceptis moderatur? Illa profectò nos monet, agnoscere gubernatores nostros, non casu, aut pro libidine fortunæ, sed æterno Summi Dei consiliô præfectos esse: Illa favorem & amorem in Principes, non ob pænarum metum, sed sub strictissimis conscientiæ vinculis, à nobis suavissimè extorquet: Illa præstare legibus & mandatis pietati & honestati consentaneis debitam obedientiam sanctissimè præcipit: Illa conferre census ad gubernationem necessarios, solvere tributa, non fraudare vectigalia nobis injungit: Illa æquô animô judicis accipere sententiam, & promeritas obire pænas, legum transgressores hortatur: Illa timere Magistratus, errata sua condonare, tolerare eorum injurias, sibique ab illorum cæde temperare severissimè imperat: Illa deniqué, quà in solemnibus, quà in privatis precationibus, pro salute atque felicitate Principis apud Divinum Numen intercedere, salutariter nos docet. O præclara Religionis Christianæ instituta! o summam & incredibilem in animos

affe-

affectusque humanos Religionis vim & potestatem! Non è Philosophorum (repeto) Sectis hæc dogmata prodiere, sed è Divinitatis Sacrario oracula ista derivata. Hic igitur nobis laborandum & sudandum est: hic studium, hic cogitatio, hic cura defigenda: in hoc omnes corporis animique nervi contendendi. Multa adhuc alia pro dignitate argumenti hujus dicenda superessent AA. at nimis in longum oratio mea protraheretur, tempus est, ut littus appellam, & vela contraham.

Jam igitur Lectissimi Adolescentes, quid Instituti Academici ratio postulet, abundè, ùt reor, intellexistis: Vobis quid facto opus sit, cogitate. Præcellens quidem, at multa accuratione indigens educandæ Juventutis officium, vobis cum tempore impendet. Scitote adeò, Pædagogos graves imprimis, liberosque ab omni vitæ crimine, dehinc egregiè doctos esse oportere. Nam quemadmodum nutricum quantò purius, incorruptiusque lac fuerit, tantò infantium, qui eo aluntur, valetudo magis atque robur adjuvatur: Ita ii qui electiores litteras & mores habuerint, eò etiam disciplinis firmiora relinquent probitatis & doctrinæ altiùs demum surrectura vestigia. Sed neque satis est Magistro, quæ profitetur scire, nisi expeditè ea possit explicare, & artem dexteritatemque ad rem adjungat. Cavendum vobis quoque quàm maximè, ne altiora intellectu, aut ea quæ vires vestræ ferre nequeant, unquam tentetis. Sunt enim plerique, qui dum metiri se n sciunt, quæ non didicerunt, docere concupiscunt: qui pondus Magisterii tantò levius æstimant, quantò vim magnitudinis illius ignorant. Præprimis autem vultu placidos, sermone affabiles, affectibus decoctos, vos habere optarem. Siquidem nihil est fædius præceptore furioso, qui cùm debeat esse mansuetus & humilis ad omnes, ex diverso, torvo vultu, trementibus labiis, rugata fronte, effrenatis convitiis, facie inter ruborem & pallorem variata, clamore prostrepitat, errantes non tam ad bonum retrahit, quàm ad malum suâ sævitiâ præcipitat. Sed quid ego pluribus vos commoneo? indoles egregia, ingenium acre, virtus inflammata, cùm mihi, tum Almæ meæ vestræque Altrici Universitati, optima quæque de vobis augurantur. Eja Lectissimi Adolescentes! tales vos in omni vitæ actione exhibeatis, eòque omnes vestras curas conferte; ut cùm nos reliquos omnes fato concedere natura jusserit, in vobis florentissimæ hujus Academiæ nomen, laudesque perennent.

D I X I.